

1484

*A Severi-
nate præ-
ventus infe-
ctare abiit.*

tusque quid vellent sibi voces illæ ex proximo redditæ ; quæ copiæ , quæ præsidia ea essent , & unde tam cito accersita ; ubi vero ex iis qui in arce erant , Severinatem cum copiis adesse cognovit : *Alas ergo habuit hic senex , inquit , non pedes . Proh Deum atque hominum fidem ! Me ne ab homine annis jam propemodum confecto , & cui longiore circuitu per flumina & stagna huc veniendum fuit , celeritate & cursu vinci oportuit ?* Conversus inde ad suos centuriones , magistros navium , ventum , aquas , omniaque simul incusare : atque ita frendens gemenque retro infecta re Hostiliam concessit .

Victurius interim cum Deiphobo & Rodulpho Gonzaga ex Calcinato digressi , Castanedulas venere . Hic trepide nunciatur , Lodovicum Sforciam summa ope Romanum in Bergomati agro oppugnare . Superato itaque Ollio , Venetus Palatiolum concessit ; unde Thomas Primanius Bergomum , & Petrus Carthaginensis Martinengium , ut præsidio his locis essent , sunt missi . Sed dum ad Palatiolum sedet Sforcia , ad deditionem oppidum aliquandiu oppugnatum compulit . Veneta castra mox ad Pontolium translata ; inde vero motis signis , secus Ollii ripam Venetus ducens , multa loca , quæ æstate hostis occuparat , paucis diebus recepit . Conferunt interim cum suis castra Severinas & Maurocenus legatus , qui jam ex Padana expeditione redierant : rebus ubique ex sententia firmatis , Petro Marcello legati nomine ad Vallegium relicto , & ad Villam Francam Dalmatico equitatu cui Nicolaus Enonius & frater , juvenes impigri , præerant , alii quoque aliis Veronensis agri locis , quia Mantuanis junguntur finibus , jussi sunt hyemare : qui assiduis incursionibus Mantuam toto hybernorum tempore sollicitam habuere . Severinas , collatis cum Victurio & Rodulpho Gonzaga castris , Minerbium cum magno præsidio expugnavit . Hinc Maurocenus bona Patrum venia , Victurio in castris relicto , Venetias rediit . Post Minerbium Venetus dux Variolam , Scorsariolum , & brevi omnia , quæ hostis æstate occuparat (præter Asulam , Quincianum